Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MORBO NIGRO HIPPOCRATIS

QUAM

DEO PRÆSIDE

CONSENSU

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDENDI HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORUM
RITE CAPESSENDI

DIE VIII. JUNII ANNI MDCCLXI.

SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT



THEOBALDUS MATTHÆUS GASSER
HAGENBACHENSIS-ALSATA
AA. LL. ET PHILOS. MAGISTER.

ARGENTORATI Typis JOH. HENRICI HEITZII Univ. Typogr.

VIRO REVERENDO

DOCTRINA, PIETATE, ALIARUMQUE VIRTUTUM

CONSPICUO

DOMINO DOMINO

MORANDO HERSCH

RECTORI & PAROCHO

VIGILANTISSIMO

IN DAMMERKIRCH

AVUNCULO SUMMOPERE COLENDO

HAS PAGINAS

IN CULTUS ET OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM

D. D. D.

THEOB. MATTHÆUS GASSER.



§. I.



Qui ſuo ſatisfacere cupit officio Medicus practicus, non frequentiorum & quotidie obviorum tantum, ſed & rariorum nec ſæpius occurrentium Morborum cauſas, medendique genuinam methodum cognitas perſpectasque habere tenetur. Et religio & privatum Medici commodum practicæ hujus regulæ rationem ſtabiliunt. Peſſime enim & ſuæ conſcientiæ & famæ conſulit, qui ex artis ignorantia in præſentaneum vitæ diſcrimen ægrotantes præcipitat. Inprimis vero juniores Medici praxin exercitaturi dicta modo cognitione probe inſtructi eſſe debent; ita enim haud raro, ſi rarior forte fortuna morbus in praxeos limine ſtatim curandus ſeſe illis offerret, inſigne ex felici ejus ſublatione & praxeos & famæ augmentum percipere poſſent. Hæc ex parte me induxere, ut præſens de Morbo Nigro thema inauguralis ſpeciminis loco pro ingenii modulo elaborare & publico atque amico conflictui ſubmittere mecum conſtituerim.

§. II.

Morbum nigrum inter rariores, quibuſcum conflictari ſolent miſeri mortales, affectus jure meritoque referri, vel exinde ſaltem elucеſcit, quod ex tanta Pathologorum cohorte perpauci Auctores in ſuis ſcriptis eundem deſcripſere. Primus, quantum ego quidem ſcio, & unde forſan morbi noſtri epitheton derivandum eſt, eundem delineavit HIPPOCRATES (*a*) ſequentibus a Fœſio latina civitate donatis verbis: „ Bilem „ atram tanquam fecem vomit, interdum quidem velut ſan„ guinem, interdum vero velut vinum ſecundarium, quan„ doque etiam velut Polypi (piſcis) atramentum, quando„ que acidum tanquam acetum, nonnunquam vero ſalivam „ & pituitam tenuem, nonnunquam bilem ex viridi palli„ dam. Et cum nigrum quidem cruentum vomuerit, cædem „ olere videtur, fauces & os ex vomitu incenduntur, dentes „ obſtupeſcunt, & quod vomitione rejectum eſt, terram at„ tollit, cumque vomuerit, paulo melius habere videtur, „ neque ſine cibo eſſe, neque copioſiorem cibum ingeſtum „ ferre poteſt. Verum cum jejunus fuerit, viſcera ſtrepitum „ edunt, & ſaliva aceſcit. Ubi vero cibum ſumpſit, pondus „ in viſceribus percipitur, pectus & dorſum tanquam ſtilis „ pungi videntur, latera dolor detinet, febris levis eſt, ca„ put dolet, oculis non videt, crura gravantur, color nigri„ cat & imminuitur. Huic medicamentum purgans crebro „ propinato, & ſerum & lac, ſi anni tempus ferat, & cibis „ abſtineat dulcibus, oleoſis & pinguibus, utaturque quam „ maxime frigidis, & alvum ſubducentibus, caput purgato, „ & poſt potiones medicamentorum per ſuperiora purgantium, „ niſi debilis fuerit, ſanguinem ex brachio detrahito. Quodſi „ alvus non dejiciat, molli infuſo ſubluito. Crapula & ve„ nere abſtineat, ſed ſi venere utatur, jejunus foveatur, & „ ſole abſtineat, neque multum exerceatur, neque deambu„ let, calida non lavet, acria non edat, neque ſalſa. Quæ

„ cum

„ cum feceris, cum ætate etiam morbus fugit, etiamſi corpus
„ ad ſenectutem comitetur. Si vero denigretur, ad mortem
„ uſque comitatur.

(*a*) *De Morbis Lib. II. Sect. V. p. m.* 486. & *ſeq. Edit.* Foesii *Francof.* 1624.

§. III.

In deſcripta modo noſtri affectus Hiſtoria Hippocrates quidem ſanguinis quandoque velut Polypi piſcis atramentum nigri, cadaveroſi odoris, fauces & os adurentis, dentesque obſtupefacientis, quandoque acidi, quandoque pituitoſi, quandoque bilioſi *vomitu* tantum rejecti mentionem facit. Sed ex obſervationibus in quorundam Practicorum ſcriptis conſignatis conſtat, non ſolum per ſuperiora, ſed & per inferiora (*b*) ſimul, imo quandoque per alvum tantum (*c*) nigram talem cruentam materiam evacuari. Denominationem morbus noſter non a nigro cutis colore, ſed peccantis materiæ excretæ nigredine obtinuit. Foreſtus (*d*) eundem vomitum melancholicum, vel atræ bilis appellat: innixus ſine dubio falſæ veterum opinioni, qui ſuccum quendam melancholicum atrabilarium in Liene generari autumabant; ſed noſtris ſanioribus temporibus hæcce veterum ſententia tanquam imaginaria e medicorum ſchola diu exploſa eſt. Conſtat enim verum Lienis officium eſſe ſanguinem reſolvere & attenuare, eumque ſpiſſo Venæ Portæ ſanguini in Hepate admiſcere, quem diluit, ſicque a coagulo & ſtagnatione præſervat, bilisque ſecretionem promovet. Quando vero liber ſanguinis ex Liene ad Hepar tranſitus variis ex cauſis impeditur, in Liene accumulatur, per vaſa brevia ad ventriculum regurgitat, hujus vaſa pedetentim dilatat, aperit, & in ventriculi cavum deſtillat, ex eo vel coagulatus, atro-rufeſcente colore tinctus, cum magna quandoque phlegmatis aut inſipidi aut viſcidi quanti-

 tate

tate mixtus, vel mora corruptus, putrefactus, & atro atque piceo colore tinctus vomitu postea rejicitur.

(*b*) WELSCH. *Curat. medicin. Dec. IV. Curat. V. p. m.* 183. PLATERUS *Observat. Libr. III. p. m.* 779.
(*c*) *Recueil period. d'Observ. de Med. &c. Tom. VI. Fevr.* 1757. *p.* 86.
(*d*) *Observat. & Curat. medicinal. Libr. XVIII. Obs. XVII. p. m.* 96.

§. IV.

Est ergo Morbus niger internarum hæmorrhagiarum species, in qua sub insigni virium prostratione, & concurrentibus haud raro lipothymiis sanguis per dilatata sanguiferorum vasculorum ostiola in ventriculi intestinorumque cavum excretus, mora nigricans, corruptus & cadaverosum de se spargens odorem vel per superiora, vel per inferiora, vel per utramque viam simul excernitur.

§. V.

Præcipua itaque signa, quibus noster ab aliis quandam analogiam cum eo habentibus morbis distingui potest, sunt: 1) Insignis virium prostratio & lipothymiæ: 2) Nigricantis corrupti & cædem olentis sanguinis per vomitum & alvum excretio; de quo ultimo signo tamen notari vellemus, quod excreti sanguinis consistentia, color, sapor & odor per accidens diversis ex causis variare possint. Quo diutius enim extravasatus primis in viis cruor stagnat, eo spissior, nigrior atque graveolentior evadit, & contra. Sic & alii humores, succus v. g. gastricus, intestinalis liquor, vel pancreaticus in majori minorive eidem admixti quantitate, ut sanguinem modo, modo secundarium vinum, modo polypi piscis atramentum colore & consistentia referat, efficiunt. Primam regionem si acidum obsidet, id quod hypochondriacis perquam familiare, acidum tanquam acetum rejectus vomitu sanguis sapit

ſapit. Biliosa repleto ſaburra ventriculo, amarum concipit ſaporem, & ex viridi pallido tingi colore poteſt.

§. VI.

Nigricantem, putridum, per ſuperiora & inferiora rejectum ſanguinem inter pathognomonica noſtri morbi ſigna (§. præced.) retulimus, quodque peccans hæcce materia ratione quarundam qualitatum diverſis ex cauſis & *per accidens* variare poſſit, innuimus. Erronea multis hæcce ſententia atque Hippocratis deſcriptioni (§. 2.), ſaltem ſecundum FOESII verſionem contraria videri poteſt. Dicit enim divus ſenex, vel potius FOESIUS, quod hoc morbo correpti *atram bilem tanquam* fecem, interdum *velut* ſanguinem &c. vomant; atræ bilis vomitus ergo pathognomonicum noſtri morbi ſignum eſt, & ſanguis eadem ex ratione ut acidum, ſaliva, tenuis pituita & ex viridi pallida bilis per accidens tantum evomitur. Huic objectioni, præter ea quæ de bile atra (§. 3.) jam monuimus, ſequentia opponimus: FOESII M. S. quo ad ſuam verſionem utebatur, annotante WELSCHIO *l. c. p.* 184. non ex optimis erat; alii enim interpretes non μέλαιναν ἐμέει, ſed μέλανα *nigra*, aut μέλαν *nigrum* legunt. Præterea quomodo FOESIUS, ſub adjectivo μέλαιναν *nigram*, ſubſtantivum χολὴν *bilem* ſubintelligendum eſſe, evincere poſſit, non videmus; ubicunque enim HIPPOCRATES in ſuis ſcriptis atræ bilis mentionem fecit, non ſolo utitur adjectivo μέλαινα, ſed ſimul addit ſubſtantivum χολὴ (*e*). Vertendum ergo erat: Nigra vel Nigrum vomit tanquam fecem &c. Hancce nigricantem vero materiam corruptum putridumque ſanguinem eſſe partim ex iis, quæ (§. 3.) diximus palam fit, partim ex infra (§. 9.) dicendis eluceſcet.

(*e*) *Confer. Aphoriſ. Sect. IV.* 22. 23. & 24. *Sect. VII.* 68. *Coac.* 68. &c.

§. VII.

Magnam noſter morbus tam ratione præcipuorum ſymptomatum, quam reſpectu ſedis & cauſæ I. cum *Vomitu cruento* habet affinitatem, & gradu tantum ab eo differre videtur. In utroque enim morbo punctorio aut tenſivo ſiniſtri hypochondrii dolore excruciantur ægrotantes, ſæpiusque lipothymiis corripiuntur, ventriculus morbi ſedem conſtituit, & a male affecto Liene pendet; differunt vero inter ſe reſpectu qualitatis peccantis materiæ. In cruento vomitu concretus tantum & atro-ruſeſcens cruor peccantem conſtituit materiam; in noſtro vero morbo corruptus plane putridus & graveolens ſanguis excerni ſolet.

II. Major obſervatur differentia inter noſtrum malum & *Dyſenteriam:* in hac enim ſanguinis excretionem crudeliſſima antecedunt & concomitantur tormina totum inteſtinorum canalem pervagantia, cum intolerabili teneſmo, acuta adeſt febris, morbusque contagii non expers; in noſtro vero non ita ſunt atroces dolores, imo quandoque nullis plane ſtipatæ ſunt cruciatibus (*f*) dejectiones, abeſt febris acuta, nec contagio infamis eſt.

III. Differt porro Morbus niger a *Cholera*, in qua quidem itidem eruginoſa, nigra, acidiſſima ſæpius fereque corroſiva materia, & ipſe ſanguis nonnunquam vomitu rejicitur, aſt acutiſſimos inteſtinorum conjunctos habet dolores roſionesque præcipue ſupra umbilicum, acuta ſimul adeſt febris, veramque excreta materia bilem conſtituit.

IV. Et a *Fluxu hæmorrhoïdali* malum noſtrum diſcrepat, fluidus enim, non fœtens ſanguis vel cum fæcibus, vel abſque his ex hæmorrhoïdalibus vaſis hoc fluxu præſente per anum excerni ſolet.

V. Nec cum *Fluxu hepatico*, ſub quo dejectiones carnis loturæ ſimiles ſunt, confundi morbus noſter debet.

VI. Neque cum eo ſanguinis vomitu, qui improvidum draſtico-

drasticorum usum, aut assumta corrosiva venena excipere solet, unum eundemque constituit morbum noster; hoc in casu enim ex erosis ab emetici aut veneni acribus particulis ventriculi vasculis sanguis non fœtens provenit.

VII. Tandem etiam notandum, quod in *Hypochondriacis* quandoque nigræ contingant dejectiones, quæ eo facilius nos in errorem ducere possunt, ut illas cum nostro confundamus malo, cum hypochondriacum malum sæpius corpus ad nigrum morbum prædisponat; sed nigricans hæc hypochondriacorum materia consistentia pici potius quam corrupto & putrido similis est sanguini, insigniter quidem fœtet, non tamen cadaverosum de se spargit odorem, & revera nihil aliud est, quam naturalium excrementorum massa, quæ diuturna sua stagnatione & mora in intestinis summum putredinis gradum attigit (*g*).

(*f* & *g*) *Recueil periodique d'Observat. de Medecin l. c.*

§. VIII.

Non solum vero ab aliis morbis sed & inter se malum nostrum differt, & quidem

I. Ratione *sedis* Morbi: quandoque enim in ventriculo tantum, quandoque in intestinorum canali, quandoque in utrisque organis simul hæret (§. 3.)

II. Ratione *qualitatis* excretæ materiæ peccantis: interdum corruptus & putridus sanguis solus, interdum cum acido, aut bile, aliove fluido mixtus excernitur (§. 2.).

III. Ratione *symptomatum:* varia & gravia quandoque conjuncta habet symptomata (§. 2.) quandoque vero præter virium prostrationem & lipothymias nihil habent ægrotantes, de quo conquerantur (§. 7. n. 2.)

§. IX.

Proximam morbi nostri causam sanguis in ventriculi intestino-

ſtinorumque cavum effuſus, mora corruptus & putrefactus conſtituit. Quando enim variis ex cauſis, mox recenſendis, progreſſivus ſanguinis per Lienem, Hepar, venæque Portæ ſyſtema motus impeditur, neceſſario tam in ventriculi vaſis, brevibus ſcilicet, gaſtricis & epiploicis, quam Inteſtinorum a Vena Portæ ventrali oriundis accumulari & ſtagnare debet, unde hæc vaſa ultra naturalem ſuam diametrum pedetentim diſtenta tandem aperiuntur, contentumque ſanguinem in ventriculi inteſtinorumque cavitatem dimittunt, in qua ob diuturnam ſtagnationem putreſcit & acris redditnr, nervosque horum organorum ſtimulando efficit, ut per ſuperiora & inferiora poſtea excernatur. Eo facilius hancce ſanguinis putrefactionem concipere poterimus, ſi perpendamus: 1) Venæ Portæ ſanguinem multis imprægnatum eſſe particulis oleoſis, & propterea ad corruptionem admodum proclivem. 2) Sanguinem ob allegatum modo impeditum in Venæ Portæ ramificationibus circulum atque ſtagnationem inſignem jam, ante eruptionem ad putredinem concepiſſe diatheſin. 3) Sanguinem extra circulationis limites hærentem, accedente inſuper loci calore facillime in fœdam putredinem reſolvi.

§. X.

Ad *prædiſponentes* cauſas referri debent.

I. *Plethora*. hac enim præſente ſanguifera vaſa nimium dilatantur, eorundem tonus debilitatur, ſicque ſolidorum in fluida reactio infringitur, inteſtinus & progreſſivus humorum motus retardatur, ſanguis ſpiſſeſcit, in vaſis, præcipue Venæ Portæ ramificationibus, in quibus per ſe jam lente ſatis moveri ſolet, ſtagnat, accumulatur, tandemque per dilatata vaſorum oſcula viam ſibi in Ventriculi Inteſtinorumque cavum parit.

II. *Temperamentum Sanguineo-Melancholicum*, in quo fluida ſpiſſa ſolida quantitate multum exſuperant, & ſolida laxa nimis

mis in fluida fufficienter reagere eaque propellere nequeunt.

III. *Ætas provectior* in qua ob folidorum nimiam rigiditatem fluidorumque fpiffitudinem humorum circulus lente procedit, unde fanguinis ftagnationi anfa præbetur.

IV. *Malum hypochondriacum, hyftericum, intermittentes Febres* perverfa methodo citius jufto fuppreffæ. Hifce fub circumftantiis enim frequentes inteftinorum fpafmi & obftructa imi ventris vifcera fanguinis in Venæ Portæ ramificationibus circulo obicem ponunt, & ftagnationibus portam pandunt.

V. *Menfium ob ætatem ceffatio* in plethoricis, Superfluus enim fanguis utplurimum tunc fuperiora verfus ad Hepar & Lienem ruit, in hifce vifceribus ftagnat & accumulatur, tandemque in ventriculi & inteftinorum cavum viam fibi fternit.

§. XI.

Occafionales caufa funt:

I. Aëris fubitaneæ viciffitudines, calidi fcilicet in frigidum & frigidi in calidum mutatio, qua æqualis & liber fanguinis circulus infigniter turbatur, unde, præfente potiffimum plethora, facile ad hanc vel illam partem cum impetu ruere, & ex nimium dilatatis vafculis prorumpere poteft.

II. Cibi flatulenti, qui ventriculum & inteftina diftendendo liberum fanguinis circulum intercipiunt. Spirituofi potus abufus, qui non folum fanguinem infpiffando ftagnationibus anfam præbet, fed & eundem nimium agitando hæmorrhagiis favet.

III. Nimius fomnus & fufficientis motus defectus, unde folida non tantum labefactantur, fed & fluida infpiffantur; ita & nimius atque vehementior motus fluidiora diffipando fanguinem infpiffat, & orgafmum excitat.

IV. Naturales fanguinis evacuationes fuppreffæ & artificiales confuetæ neglectæ plethoram generando, vel præfentem adaugendo morbum noftrum producere valent. Idem quo-


que de nimia venere, quæ nervoſum ſyſtema debilitando ſolidorum robur inſigniter infringit, ſanguinemque exæſtuat, dicendum.

V. Haud parum quoque ad generandum Morbum nigrum contribuunt graviora animi pathemata, ira ſcilicet, & triſtitia. *Animi excandeſcentia* quippe ſanguinis circulum nimium accelerat, & ſpaſmos in hepate primisque viis excitando liberum ſanguinis circulum in his partibus impedit. *Terrore* ſanguis ex partibus externis interiora verſus repellitur, unde viſcera nimia ſanguinis copia quaſi inundantur. *Triſtitia* primas vias debilitando ſanguinis ſtagnationi & eruptioni in earundem cavum anſam præbet.

§. XII.

Qui dicta hactenus de morbo noſtro probe perpendit, ſymptomatum eundem concomitantium rationem reddere facile poterit. Inſignis virium proſtratio & lipothymiæ ſanguinis per hæmorrhagiam jacturæ partim, partim inſigni ejuſdem in ventriculi inteſtinorumque cavo corruptioni, qua nonſolum nervi; ſed & ipſum cerebrum male afficiuntur, adſcribi debent. Poſt vomitum paulo melius habere videntur ægrotantes, quoniam excuſſa materia peccante, factis quaſi per breve temporis ſpatium induciis, ventriculus non continue gravatur, neque nervi cerebrumque male afficiuntur. Nec inediam, nec copioſiorem perferre poſſunt cibum ægrotantes: priori enim in caſu acidum in ventriculo hærens nerveam tunicam continuo ſtimulat famemque excitat, & ad os uſque aſcendens eodem ſapore ſalivam imbuit, flatus vero vacua & debilitata inteſtina pervagantes ſtrepitus & murmura edunt. Sin vero debilem ventriculum cibis nimium replent, non ſolum ponderis ſenſum in eo percipiunt; ſed & punctorio in pectore & dorſo excruciantur dolore, quoniam a majori ciborum copia expanſus nimium ventriculus non ſolum ſub-

ſtrata



ſtrata ipſi majora vaſa comprimendo ſanguinis curſum pectus & caput verſum determinat, ſed & liberum diaphragmatis deſcenſum impediendo pectoris capacitatem anguſtat, unde ſanguis remorata ſufficienti pulmonum expanſione in illis viciniſque partibus accumulatur, ſtagnat & dolorem punctorium poſt ſe ducit. Laterum dolor, inprimis in ſiniſtro ſeſe exſerens hypochondrio, incarceratos in inteſtini coli a tumente Liene compreſſi-flexura flatus pro ſui cauſa cognoſcit. Capitis dolor & tranſitoria cœcitas itidem impedito per abdominis viſcera ſanguinis circulo imputari debent; humores enim majori in quantitate ad ſuperiora ruentes membranarum cerebrum & calvariam cingentium vaſa nimium diſtendunt, unde cephalalgia, & a compreſſis opticorum nervorum thalamis cœcitas pendent. Sub inordinato tali humorum motu minime mirandum, ſi leves febriles motus quandoque ſimul concurrant.

§. XIII.

Morbi noſtri *prognoſin* quod ſpectat, notandum: quamvis HIPPOCRATES paſſim in ſcriptis ſuis *(h)* „ Dejectiones „ nigras, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes, & cum „ febre & ſine febre peſſimas pronunciet, & eos quibus *(i)* „ ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut ex vulneribus, aut „ aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel qualis „ ſanguis niger prodierit, poſtridie mori affirmet; magis tamen fauſta de noſtro prædicit affectu;" nam, quæ cum feceris, inquit (§. 2. in fin.), cum ætate etiam morbus fugit, etiamſi corpus ad ſenectutem comitetur. Si vero corpus denigretur, id eſt, ſi niger color, & per conſequens etiam vitioſus humor (*k*) ad corporis ſuperficiem transfunditur, ad mortem uſque comitatur. Ad chronicos ergo potius quam acutos referendus eſt morbos noſter, ſæpiuſque inprimis ſi a viſcerum imi ventris obſtructione aut ſcirrho fovetur, aut

 frequen-

frequentius recurrit, in Afcitem (*l*) tranfit. Quandoque vero ægrotantes, fi congrua negligunt medicamenta, aut incongrua adhibent, exhauftis omnibus viribus ex ventriculi aut inteftinorum gangræna difcedunt (*m*), fi menfium emanfio aut fuppreffio malo anfam præbet, menftruis erumpentibus (*n*) folvitur. Si ex vanis hæmorrhoïdum moliminibus aut fuppreffione ortum ducit, fæpiufque repetit, provocato (*o*), aut in ordinem redacto hoc fluxu recidiva præcavetur.

(*h*) Aphor. *Sect. IV.* 21. *Coac.* 612.
(*i*) Aphor. *Sect. cit.* 23.
(*k*) Welschius *l. c. p.* 189.
(*l*) Dodonæus *Medicinal. Obfervat. Cap. XXVII. p.* 45.
(*m*) *Recueil periodique &c. l. c. p.* 87. & Bonetus *Medic. feptentr. Lib. III. Sect. V. C. IV. p.* 528.
(*n*) Hippocrates *Aphor. Sect. V. p.* 32.
(*o*) Platerus *l. c. p.* 780.

§. XIV.

Noftri affectus ad curam nunc devolvimur, quam in duas dividimus partes. Primo enim, quid in ipfo fit agendum paroxyfmo, dicemus & fecundo, quanam Medicus methodo extra eundem morbum expugnare atque recidivam præcavere debeat, indicabimus.

I. In paroxyfmo fequentes adimplendæ veniunt Indicationes. 1) Superftites vitæ vires fuftinendæ. 2) Ulterior fanguinis extravafatio & putrefactio impedienda. 3) Actu extravafatus quantocius per convenientia loca eliminandus eft.

Primam atque fecundam indicationem commode invicem combinare, iifque fimul fatisfacere poffumus. Virium enim proftrationem & lipothymias hæmorrhagiæ partim, partim ftagnanti in ventriculi inteftinorumque cavo corrupto, nervos ipfumque cerebrum male afficienti fanguini adfcribendas effe (§. 12.) innuimus. Quando itaque ulteriorem convenienti medicina impedimus hæmorrhagiam, fanguinisque præcavemus

mus corruptionem putredinemque, fuperftites vitæ vires fimul fuftinemus, & de eadem fic fidelia duos dealbamus parietes. Cunctis vero remediis quibus a Therapiæ fcriptoribus hæmorrhagias fiftendi, humorum putredinem arcendi, viresque refocillandi virtus tribuitur, palmam, noftro in morbo, facile præripiunt Acida tam ex vegetabili quam minerali regno petita, qualia funt: Acet. fimpl. & deftill. Succ. Limon. Pomor. Citr. Aurant. Berber. &c. recenter expreffus, & ex his confecti fyrupi: ⁓ ⊖is & ⏀i dulc. Liq. Anod. min. Hoffmann. Effent. Rabel. &c. Hæc enim volatiles fulphureas fanguinis partes ligando inteftinum earundem motum figunt, ficque fanguini ob incipientem putredinem refoluto debitam reddunt confiftentiam, &, ne facile e vafis prorumpat, impediunt; cumque fanguinis putredo a plenaria conftitutivarum partium refolutione, principiique alcalino-fulphurei evolutione pendeat, acida, alcali infringendo putredini potenter refiftunt, & ideo non folum optima funt analeptica, quæ noftro in morbo conveniunt, fed & velociorem fanguinis circulum cicurando diaphorefin egregie promovent, cujus in fiftendis hæmorrhagiis efficaciam mox demonftrabimus.

§. XV.

Ulteriorem hæmorrhagiam quoque præcavent ea medicamenta, quæ acredinem primarum viarum imbibendo abdominalium vifcerum fpafmos tollunt, ficque progreffivum fanguinis per totum corpus motum æquabilem reddendo, eundem a centro ad peripheriam dirigunt, & tranfpirationem adjuvant. Ita hepar, lien, ventriculus & inteftina a nimia fanguinis quantitate (§ 9. & 10.) pedetentim liberantur diftenta ultra modum vafa fefe contrahunt, ad naturalem fuam diametrum redeunt, aperta ofcula clauduntur & hæmorrhagia fiftitur. Pertinent ad hanc claffem Lapid. Cancr. ppt. C. C.

 pph.

pph. ppt. Unicorn. ver. Dens. Hippopot. Ungul. Alc. Lap. Manat. Succin. Caſtor. ♁ium diaphor. Bezoard. min. ⊕um Camphor. &c., quæ vel ſub pulveris forma, vel cum diapnoicis aquis, v. g. Aq. Card. bened. Mar. Sambuc. &c., in Mixturam redacta cumque Syrup. Acetos. Citr. vel Granat. edulcorata omni tihorio convenienti doſi exhiberi poſſunt. Modo (§. præced.) laudata Acida vero vegetabilia cum aqua pura fontana miſceri potusque ordinarii loco uſurpari debent, de quo parvis aſt repetitis vicibus bibendum. Quodſi vero jam per aliquot tempus duravit morbus, vires inſigniter fractæ ſunt, & lipothymiæ ſæpius recurrunt, aquæ fontanæ Rabelii Eſſent. ad gratam aciditatem uſque inſtillari & potus ordinarii loco exhiberi poteſt. Colicos dolores, ſi concurrunt, Ol. Amygd. dulc. cum Syrup. alth. Papav. alb. mixtum egregie ſopit.

§. XVI.

Interponi hiſce remediis quotidie debent Clyſteres emollientes, qui inteſtinorum ſpaſmos relaxando progreſſivum humorum per vaſa motum non ſolum egregie adjuvant, ſed & peccantem materiam, id quod 3) *Indicationis* ſcopus eſt, blande foras educunt. Quando horum remediorum ope nigricantis materiæ excretio imminui incipit, id quod ſedatæ hæmorrhagiæ. occluſorumque iterum vaſculorum ſignum eſt, ægerque aliquale virium incrementum percipit, nec amplius a lipothymiis infeſtatur, alternis ipſi diebus evacuans quoddam Remedium exhibendum eſt. Huic ſcopo vero minime fortioribus atque draſticis, reſinoſis ſcilicet, aloëticis &c. quæ ſua acredine atque ſpaſticis, quas producere ſolent, conſtrictionibus conſolidata modo vaſculorum oſcula denuo aperire novamque excitare hæmorrhagiam poſſent ſatisfaciendum; ſed rejectis etiam Rhabarbarinis, Sennatis, ⊖ mediis leniſſima tantum & eccoprotica, v. g. Tamarindi, caſſia eorumque Pulpa

Pulpa in usum vocari debent; hæc enim clementissime alvum subducunt, & ob acidum quod secum vehunt, humorum putredini simul resistunt, refrigerantemque virtutem possident. Tamdiu vero his insistendum, donec evacuata omni materia peccante, naturali tinctæ colore feces iterum prodeant. Venæsectioni, quam debita sub cautela Hippocrates suadet, in ipso paroxysmo raro locus est, pulsus enim, qui utplurimum parvus & concentratus micat, insigne virium decrementum. & lipothymiæ eandem contraindicant, & ideo præservandi potius quam curandi scopo utilis videtur.

§. XVII.

Quoad diætam, æger durante morbo transpirationem omni studio promoveat; extremitates frigidæ calefactis linteis sæpius foveantur: frigidi enim pedes salutarem adeo cutis excretionem retardant, & sanguinem ex externis partibus interiora versus repellendo, ulteriori sanguinis eruptioni ansam præbent. Jusculis tantum vitulinis aut gallinaceis & hordei aut oryzæ cremore nutriatur, & ordinarii potus loco aquam puram fontanam Limonum syrupo aut alio ex supra (§. 14.) laudatis edulcoratam & acidulatam bibat.

§. XVIII.

Extra paroxysmum & morbo finito mali nostri fontes, quorum præcipuos Plethora, Viscerum imi ventris obstructiones, Mensium & Hæmorrhoïdum fluxus suppressus (§. 10.) constituunt, obturandi sunt, ut morbus radicitus tollatur & recidiva præcaveatur.

Superfluam sanguinis quantitatem intra breve temporis spatium imminuit V. S. quæ deperditum solida inter & fluida æquilibrium restituendo progressivum & intestinum sanguinis motum promovet, ejusque spissitudinem atque stagnationem

sic

ſic optime præcavet. Nunquam ergo plethorici, qui ſemel morbo noſtro laborarunt, hocce remedii genus longius differre, ſed circa ſolſtitia & æquinoctia viribus proportionatam ſanguinis quantitatem e vena ſecta mittere debent; cumque ea, quæ ſeroſas excretiones adjuvant, ſemper etiam ſanguinis maſſæ aliquid detrahant, V. Soni commode alvi purgatio per lene remedium laxans rhabarbarino-tamarindinatum aut caſſiatum ſubjungitur. Quoniam porro plethorici ſanguinis jacturam facile reſarciunt, jurulentum e ſucculentis carnibus paratum victum cum vegetabili commutent, & parciori inſuper manu capiant: cumque plethoricorum ſanguis juſto denſior eſſe ſoleat, ſpirituoſi potus loco bonæ notæ aquam, ſimplicem aut mineralem quandam, aut ex leniter reſolventibus paratam Ptiſanam, cui interdum optimi cujuſdam vini hauſtum interponant, pro ordinario potu uſurpent; quam maxime quoque plethoricis Lactis ſerum (§. 2.) vel acidum, vel dulce, vel Lac ebutyratum convenit. Inſignem præterea ad imminuendam plethoram, *niſi jam nimium aucta ſit*, vel potius ad eam *præcavendam* præſtat utilitatem moderatum corporis exercitium, quo non ſolum naturale ſolidorum robur firmatur, ſed & omnes ſe-& excretiones promoventur, corpuſque a ſuperfluis humoribus liberatur. Eadem hæc præſidia fæminis, quibus ob ætatem menſtrua ceſſarunt, conveniunt.

§. XIX.

Abdominalium viſcerum infarctus, hypochondriacis perquam familiares, obſtructiones ut referentur, ſanguiniſque liber & expeditus per Venæ portæ ramificationes motus reſtituatur, expoſcunt. Præmiſſa ergo, ſi plethora urget, V. S. expurgatiſque blando laxante Rhabarbarino-Mannato primis viis, ad explendas has indicationes mineralium aquarum cum debito regimine uſum ſatis laudare non poſſumus. His enim

ad

ad ſpiſſum ſanguinem diluendum, obſtructa viſcera reſeranda, ſanguinis circulum per totum corpus æqualem reddendum, excretiones per cutim, alvum & urinam promovendas magna ineſt vis, omnibuſque aliis hujus generis remediis longe anteponendæ. Non omnibus vero ſubjectis omnes indiſcriminatim conveniunt aquæ minerales, ſed juxta temperamentorum differentiam ſeligendæ. Cholericis, agilioris ſtrictioriſque habitus corporibus Deinacenſes, Griesbacenſes, Selteranæ, Spadanæ conveniunt. Sanguineo-phlegmaticis & ſpongioſioris texturæ ſubjectis Egranæ, Petrinæ, Pyrmontanæ & Schwalbacenſes proſunt; aſt ventriculi inteſtinorumque labefactato tono ſimul ſuccurrendum. Hunc in finem bis quotidie, ante prandium & cœnam, vel Pulvis roborans ex ♂tis Limat. Rhabarb. Peruv. Cort. Pulv. Stomach. Birckmann. & carminativis concinnatus, vel Tinctura quædam ♂tial. v. g. Ludov. Zwœlffer. vel Elixir quoddam viſcerale & Balſamicum ex Extractis amaris v. g. Cort. Chin. Caſcarill. Rhabarb. Card. bened. Cent. min. Gentiam rubr. in liquore quodam ⊖ino, v. g. Liquor. aperit. min. Arg. ex ☿r. & 🜕o Schrœd. ſolutis paratum propinari debet.

§. XX.

Quodſi malum vel a menſtruorum vel hæmorrhoidum ſuppreſſo fluxu foveatur, optime morbi minera præſcinditur, quando naturales ſanguinis evacuationes in ordinem rediguntur, revocanturque. Præmiſſis ergo præmittendis, evacuatoriis, ſcilicet V. S. primarum viarum expurgatione, ſpiſſi ſanguinis dilutione, in quem finem mineralium aquarum uſum denuo commendamus, ſanguis verſus conſuetum ante ſuppreſſionem tempus ad excretionis organa blande derivandus & ad exitum ſtimulandus eſt. Huncce ſcopum adimplent 1) Tepide adhibita pediluvia. 2) V. S. derivandi fine in pede inſtituta, & 3) temperatiorum emmenagogorum, v. g. Pillul. balſamic. Beccher. aut Stahl. uſus. Hyſtericas morbum noſtrum perpeſſas eadem adjuvant remedia, utplurimum

enim hysterica passio vel ab inordinato & impedito aut plane suppresso catameniorum fluxu fovetur.

§. XXI.

Cum tandem remedia, quamvis selectissima optatum rarissime aut nunquam edere soleant effectum, nisi recto sex rerum non naturalium usu eorundem virtus adjuvatur, ii, qui ex nostro convaluere morbo, strictissime sequentes observare regulas diæteticas debent.

I. Contra frigidioris aëris injurias convenienti corpus suum muniant vestitu, solisque radios sollicite fugiant.

II. Flatulentis, leguminosis, acribus, salitis, fumo induratis, dulcibus, ☿sis pinguibusque Cibis, ut & spirituoso, inebriante, non rite fermentato aut defecato abstineant potu, horumque loco facilis digestionis alimentis & diluente potu (§. 18.) utantur.

III. Diutius protractus somnus & nimia quies hic æque nocent, ac pervigilium, & vehementior corporis motus, ardente inprimis sole, aut post pastum statim susceptus, perquam e contrario iis moderatus corporis motus utilis est.

IV. Mensium vel hæmorrhoïdum negotium, ut bene procedat, omni studio curare debent. Consuetas vero artificiales sanguinis evacuationes, vernales & autumnales saltem, non negligant. Nisi quotidie respondeat alvus, emolliente solvenda clystere. Nimia venus fugienda.

V. Graviora animi pathemata, iram, terrorem, tristitiam & mœrorem sollicite vitent, & animi tranquillitati & hilaritati studeant.

VI. Balneis calidis, sanguinem exæstuantibus minime utantur.

Sed vela hic contrahimus, & si quædam non nitide satis dicta, secundum artem disposita, insufficienter explicata aut erronea plane in hoc occurrant specimine, ut B. L. ingenii viriumque tenuitati aliquid condonet, decentibus formulis rogamus.

F I N I S.